



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus I. Fama.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

F. TITULUS

TITULUS I.

FAMA.

§. I.

Symbola, &amp; Similitudines.

**P**recepit DEus Noe Gen. 6. 14. ut Arca intus, & extra, bitumine liniretur: ut & intus munda conscientia splendeat; & foris sancta conversatione hominibus placeamus. Stella in Luc. 1.

*Ecce odor filii mei sicut odor agni pleni.* Gen. 27. 27. Fragrantia bonæ opinionis, quæ omnia merentur benedictionem æternæ retributionis. Hugo Card. hic. Multum Jacob præfiterat, ut pater a benedictionem aucuparetur; hædum attulerat, coxerat &c. Sed maxime odor bonus benedictionem paternam elicit. Pinna in Eccl. Ethol. 190.

*Peperit quoque Zelpha alterum, dixitque Lia: hoc pro beatitudine mea.* Gen. 30. 12. *Beatam quippe me dicent mulieres.* Zelpha Lia, serva dominæ, peperit filium, quem vocavit Aser, id est, beatitudinem. Subdit: *beatam me dicent:* quia non satis est operari bonum; sed insuper tales ab aliis haberi. Curandum de bono nomine. Id. Ethol. 190.

*Funderis super eam oleum, & ponet thui.* Levit. 2. 1. Oleum charitatem; thui bonæ famæ significat odorem. S. Rupertus l. 1. hic.

*Si vidi solem, cum sulgeret; & lunam incedentem clarè - & osculatus sum manum meam ore meo &c.* Job. 31. 26. 27. Sol, bona opera; luna, fama ex ipso bono opere; osculari manum, sibi attribuere. Hugo Card. hic.

*Qui maledixit patri suo, & matri; & extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Prov. 20. 20. Lucerna est Symbolum excellentiæ, famæ, & gloriæ. Unde vulgò dicimus, aliquem officere luminibus alterius, dum ejus famam, & gloriam obscurat. Cornelius hic.

*Ecce tu pulchra es amica mea; ecce tu pulchra.* Cant. 1. 14. Pulchra est, mundissimam DEO conscientiam exhibendo: pulchra est, inimicis, & alienis à fide CHRISTI, irreprehensibilem conversationem monstrando. Apolinus hic.

*Ego, quasi vitis, fructificavi suavitate odoris; & flores mei fructus honoris, & honestatis.* Eccl. 24. 23. Vide, quomodo Sapientia odorem suum in fructibus reputat: odor enim quidam fructus est: odor eorum cibi gratiam tenet, ipsa fragrantia pascit. Gilbertus l. 27. in Cant. Suavitatem conscientiæ, & odorem bonæ famæ. Hugo Card. hic.

*Domus impleta est ex odore.* Jo. 12. 3. Domus impleta est bonâ famâ: nam odor bonus, bona fama est. S. Augustinus tr. 50. in Joan.

§. II.

Habe curam famæ.

Motiva

Num. I.

Exemplum Christi.

**E**go flos campi &c. Cant. 2. 1. Præmiserat sponsa in laudem sponsi Cant. 1. 13. *botrus Cypri &c.* Botrus suavem gustum habet, non suaveolentiam. Laudat ergo sponsa præclara opera sponsi, immemor præclaræ famæ; quam corrigi sponsum adjiciens: *ego flos campi;* bonus odor sumus. Pinna in Eccl. Ethol. 190.

*Quem dicunt homines esse Filium hominum?* Matth. 16. 13. In multis instruitur, ut simus solliciti, quid de nobis dicatur? ut si nolum, quod corrigamus; si bonum, conferemus, & multiplicemus. S. Thom. hic. Sciebat omnia; percontatus tamen est: ut doceret, famam propriam non spernere. Scella p. 1. cap. 12.

*Ecce duo cæci audierunt, quia Jesus transiret.* Matth. 20. 30. Alij Domini auxilium poscebant, qui eum viderant; hi autem solum ex auditu. Quia alij alliciuntur ex bonis operibus, quæ vident; alij ex bono nomine. Ita vivendum, ut etiam cæci loqui possint ex narratione aliorum de bona vita. Hugo Card. rosa, antequam videretur, sentitur: cæci, antequam viderent, senserunt DEI fragrantiam. Pinna in Eccl. Ethol. 190.

*Dixerunt, quod Jesum Nazarenum transiret.* Luc. 18. 37. Nazaræi, id est, floridi odore excitati sunt - cæci, qui opera videre non poterant. Cui aliorum cura est, non modo vocari studeat Jesus, id est, Salvator, per bona opera; sed etiam Nazarenus per bonam famam: utrumque si habet, facile cæcos illuminabit. Pinna in Eccl. Ethol. 190.

Num. II.

Exempla alia.

*Usquequò ebria eris? Nequaquam Domine &c.* 1. Reg. 1. 40. Multam adhibet curam, nè à Sacerdote malam referat opinionem. S. Chrysof. hom. de fide Annæ.

*Erat hæc in omnibus famosissima: quoniam timebat Dominum valde; nec erat, qui loqueretur de ea verbum malum.* Judith 8. 8.

*Oculus sui caeco.* Job. 29. 15. ut famam suam defenderet. Nam ei amici objiciebant, maiorum causam peccatum. c. 4. s. 7. *nunc venit super se plaga.*

Cui am

Curam habe de bono nomine. Eccl. 4. 15.

DEO autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo JESU; & odorem nostris sue manifestas per nos in omni loco. 2. Cor. 2. 14.

CHRISTI bonus odor sumus. 2. Cor. 2. 15. Comparat se cum iis, quæ odoratu percipimus, non quæ visu. Nam ut oculis aliquid videamus, necesse est, ut lumine illustretur; & ut is, qui videt, oculos aperiat. At ea, quæ naribus excipiuntur, etiam per tenebras, & nolentibus nobis, sese ingerunt: quia ea est natura actuum nostrorum, ut, vel nolentibus in publicum se proferant. Pinna in Eccl. Ethol. 244.

Num. III.

Motiva varia.

Ignorabat, quod cornua esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Ex. 34. 29. Cur non resplendebat mutans Nilum in sanguinem, pereutens mare; &c. cur splendoris majestas consue dilata est, dum Israelitæ liberi? quia emendaturus mores, legem promulgaturus; ideo in celestem virum conversus, duas tabulas ferebat, & duo cornua. Oliva tom. 3. conc. 1. in Festo S. Ambrosij.

Exiit David arma Saulis, 1. Reg. 17. 40. quæ induerat; & pastorem ornatum assumpsit. S. Chrysost. in Psal. 50. Saul ei arma porrexit; verum David ea minime gestare poterat. Quam ob rem? nimirum DEUS minime permisit; id scilicet agens, ut nudus victoriam adipisceretur: ne arma rei feliciter gestæ, ac victoriæ partem sibi vendicarent; rexque armis suis victoriæ partem adscribe-ret. q. d. DEUS integram præclari facinoris laudem servo suo David reservavit. Nam multum tuetur, & honorem curat, ac famam fervorum suorum. Pinna in Eccl. Ethol. 244.

Sic luceat lux vestra coram hominibus &c. Matth. 5. 16.

Aded DEUS famam, & æstimationem servorum suorum æstimat, ut nunquam in Scriptura suadeat, ut quis sui causâ honorem amittat. Dixit Matth. 10. 39. qui perdidit animam suam, &c. & Matth. 19. 29. omnis, qui reliquerit domum &c. Nantum tamen ab eo dici invenimus: qui honorem suum propter me perdidit. Diez Conc. de S. Joseph. Maluit DEUS aliquos de suo ortu, quam de Matris pudore, dubitare; nec putavit ortus sui fidem Matris injuriis adstruendam. S. Ambros.

Resplenduit facies ejus sicut sol. Ipsum audire. Matth. 17. 2. 5. Splendere oportet ipsum sanctitate vitæ, qui cum fructu audiri cupit. Oliva tom. 3. conc. 1. in Festo S. Ambrosij.

Cui nomen Nazareth. Luc. 1. 26. Amat florigeram patriam flos de radice Jesse, & libenter inter lilia pascitur flos campi, & lilium convallium. S. Bernardus l. 3. de annuntiatione. Teque florem reputat DEUS, & bene ei complacet in te; si tibi ne honestæ conversationis decor, nec bonæ opinionis fragrantia, desit. Baeza l. 1. c. 7. §. 6.

Mulier in civitate peccatrix. Luc. 7. 37. Liberet nos DEUS! ne simus civitatis peccatores, id est, peccatores publici, qui jam famam apud omnes amiserunt. Est honor in hominibus, quasi cortex in pomis: qui, cum sit adeo tenuis, pomum tamen incolume servat: cum primum cortice nudatur, putrescit. Pomum, quod cortice opertum annò integrò conservatum est, ablatò cortice intrâ duas horas corrumpitur. Sic bona fama, licet in comparatione bonorum animæ parvum bonum sit, quia est bonum temporale; efficaciam tamen habet ad hominem in virtute conservandum. Diez f. 5. D. Pasl.

Sicut rarus est, aut nullus, qui de se mala dici æquanimiter ferat; ita rarus est, qui non bene velit de se sentiri; & se, si rectè vivit, stantem in vitæ rectitudine non diligat æstimari. S. Cyprianus. de jejuniis & tentationibus Christi.

Non despiciat, quid de se unusquisque, & maxime vir bonus, sentiat: nam negligere bonorum judicia, vel arrogantiæ, vel dissolutionis est. S. Ambros. l. 1. offic. c. 47.

Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. S. August. l. de bono viduit. c. 22.

§. III.

Fama mala.

FERMENTUM, & mel, in sacrificium sibi offerre volebat DEUS; eò quod adusta malum redderet odorem. Stella p. 1. c. 12. Idcirco mel in sacrificio offerri sibi DEUS noluit, quia mali odoris est, si crematur. Oleaster in Levit. 2. Nihil magis DEO displicet, quam si mali odoris, & famæ, sis. Novarinus Agn. Euch.

Domine, jam factes. Jo. 11. 39. Bene de illo, qui peccare consueverat, dicitur, factes: incipit enim pessimam habere famam, tanquam odorem teterrimum. S. Cyrillus Alex. lib. 7. cap. 23. Musca morientes perdunt suavitatem unguentii.

Ecclæ. 10. 1.

